



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1844

LXXIV. Bischof Otto von Havelberg verschreibt den Wohlthätern der St. Nicolai-Kapelle einen Bußerlaß, im Jahre 1496.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54407](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54407)

sive dotare, auctoritate nostra pontificali dignemur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus tanquam iustis et piis annuentes, cupientes animarum saluti salubriter providere, nec non Christi fideles ad servitium Dei ferventius excitari, dictae domus sive hospitalis fundationem, erectionem et constructionem huiusmodi gratas et ratas, ac Deo placitas habentes, auctoritate nostra ordinaria et pontificali approbamus et confirmamus, in Dei nomine per praesentes. Universitatem igitur vestram monemus et in Domino exhortamur, quatenus *) de bonis, vobis a Deo commissis, praedicto hospitali et pauperibus in ipso degentibus et in futuro congregandis subveniatis, aliosque ad subveniendum inducatis, ut per haec et alia bona opera, quae Domino inspirante feceritis, gaudia consequi possitis sempiterna. Nos etiam vere poenitentibus contritis et confessis, qui ipsum hospitale in festivitatibus beatae Mariae Virginis, nec non sanctae Annae genitricis eius dignissimae, beatorum Simonis et Judae Apostolorum, Alexii, Cosmae et Damiani, Elisabeth Viduae et aliorum Patronorum devote visitaverint, unum Pater noster cum unico Ave Maria coram imagine sua humiliter dixerint, nec non infirmis inibi degentibus opera misericordiae exhibuerint, et ipsos verbis vel facto consolati fuerint, quoties praemissa vel aliquid promissorum impleverint, toties quadraginta dies indulgentiarum auctoritate omnipotentis Dei et beatorum **) Petri et Pauli Apostolorum eius meritis confisi, de iniunctis sibi poenitentibus misericorditer in Domino relaxamus. Datum in castro nostro Wistok, Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, feria sexta post ascensionem Domini, curiae nostrae sigillo praesenti subimpenso.

Nach Dieterich a. a. D. S. 119. 120.

LXXIV. Bischof Otto von Havelberg verschreibt den Wohlthätern der St. Nicolai-Kapelle einen Buperlass, im Jahre 1496.

Otto, Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopus Ecclesiae Havelbergenensis etc. — Cupientes — ut Capella Sancti Nicolai, in opido Novae Ruppin nostrae dieceseos sita, congruis frequentetur honoribus, et ut Christi †) fideles eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, cum ad hoc dono celestis gratiae uberius se noverint fore refoctos, et a Christi fidelibus jugiter veneretur, de omnipotentis Dei misericordia beatorumque Petri et Pauli Apostolorum eius, nec non Laurentii et Constantii Martyrum, Ecclesiae nostrae Patronorum, meritis et auctoritate confisi, omnibus et singulis vere poenitentibus, confessis et contritis, qui dictam Capellam in die Sancti Nicolai confessoris, inventionis et exaltationis sanctae crucis et dedicationis capellae ejusdem festivitatibus et celebritatibus huiusmodi devote visitaverint, seu qui vesperis, praedicationibus, processionibus, missis et aliis divinis officiis interfuerint, et ad reparationem et conservationem aedificii, calicum, librorum, aliorumque ornamentorum pro divino cultu inibi necessariorum, manus porrexerint adjutrices, pro qualibet die ipsarum festivitatum, quotiens hoc aut alterum praemissorum fecerint, totiens quadraginta dies indulgentiarum de iniunctis eis poenitentibus in Domino nostro relaxamus. — — Wistok, Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, Die vero Veneris vicecima septima mensis Maji.

Nach Dieterich a. a. D. S. 120.

*) Dieterich: quibus. **) Dieterich: vizorum. †) Dieterich: Christiani.